

**www.e-rara.ch**

**Disputatio philologo-historico-theologica de adoratione pontificis  
Romani**

**Müller, Johann**

**Tiguri, anno 1680-1683**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-10625>

Disputatio philologo-historico-theologica, de adoratione pontificis Romani, tertia. ... .

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO  
 PHILOLOGO-HISTORICO-  
 THEOLOGICA,  
*De*  
 ADORATIONE  
 PONTIFICIS ROMANI,

TERTIA:

Publicæ Συζητήσεως subjecta,

*A*

JOHANNE MÜLLERO,  
 SS. Theologiæ Professore Publico:

*Respondente*

FELICE BRUNNERO,  
 Verbi Dei Ministro:

*Assumente*

JOH. JACOBO BACHOFIO,  
 SS. Theologiæ Candidato.

*Postridie Synodi Autumnalis.*

---

TIGURI.  
 Anno M D G LXXXII.

ARGUMENTUM  
TOTIUS DISSERTATIONIS,

De

ADORATIONE  
PONTIFICIS  
ROMANI.

Q Uæstio seu Caput I. *An Papa Romanus adoretur?* II. *Qualis Papa adoretur?* III. *Quando Papa adoretur?* IV. *Quibus partibus seu ceremoniis Papolatria absolvatur?* V. *Ad quam Adorationis speciem hic Papa cultus referatur?* VI. *Quàm bene hæc Papolatria cum Pontificis existimatione & Pontificiæ religionis hypothefibus conveniat?* VII. *Quibus superstitiosa Papa Adoratio rationibus impugnetur?* VIII. *Quibus suam Papicole Παπολατρείαν stabilire strophis nequicquam conentur?* IX. *Quid hinc de Papa & Papatu sentiendum?*



quam excusat, nec splendidus Summi in V. T. Sacerdotis vestitus. Sacerdos enim in Vet. Test. divinum hac de re habebat mandatum, *Exod. 28. v. 2. & seqq. cap. 29. v. 5. 6. cap. 39. v. 1. & seqq. cap. 40. v. 13. Levit. 8. v. 2. 7. 8. 9.* Papa luxus sui in N. T. nec mandatum, nec exemplum, ad imitationem propositum; ostendere potest. Sacerdotalis in V. T. splendor & ornatus mysticus planè & typicus; ac perspicua futuri, spiritualis, qui in Domino nostro Jesu Christo, ceu Summo & unico N. T. Sacerdote, fulgebat, splendoris figura erat. Hanc autem in N. T. nec id sine scœnore, reducere figuram & cerimoniam qui conantur, nãisti *Jesu Christi in carnem oblique negare adventum merito censentur, καὶ τὸ εἶναι τὸ Ἐπιχριστὸν, & hic est ille (Spiritus) Antichristi, 1. Joh. 4. v. 3.* Nec Papalis hic fastus, decantata in N. T. Christi, & Apostolorum, responderet humilitati, vid. *Supr. cap. 2. S. 37. p. 29. 30. & cap. 3. S. 6. p. 46.* sed Papam, in hac etiam parte, *ὀπίχριστον, Christo esse adversarium, probat, vid. Ibid. Quem etiam fastum Bernhardus, de consid. l. 4. c. 3. p. 885. c. & Epist. 42. p. 1424. k. l. m.* graphicè perstringit. Hic verò ornatus apprimè rectissime Papali convenit Idolo, quod, ut reliqua sua idola, imagines & reliquias, argento, auro, gemmis, & similibus vanitatibus, Papicolæ exornant; quemadmodum Gentiles monstrosis suis Deastris, pomposo auri, argenti & gemmarum, ac vario vestimentorum, ornatu, aliquam conciliare auctoritatem, hac ratione illos venerari, ac honorare, studuerunt; quod ex omni facile est colligere Historia; & Sacra, *Deut. 7. v. 25. Dan. 11. v. 38. & Apocrypha, 2. Maccab. 12. v. 40. & Profana, Dionysii, Syracusanorum Tyranni, qui Jovi Olympio aureum magni ponderis amiculum detraxit, & injecto illi pallio laneo dixit: Æstate grave amiculum aureum esse, hyeme frigidum, laneum autem ad urrumque anni tempus aptius. Vid. vit. Dionys. per S. G. S. in Append. Transl. Gall. Plur. p. m. 751.*

IV. 2. Et quemadmodum purpureis vestibus sua idololatra idola ornabant, *Jerem. 10. v. 9. & Gentilium Flamines purpureo utebantur amictu: hinc Heleni ad Æneam de sacrificante apud Virgil. Æneid. lib. 3. v. 405. p. m. 181. verba:*

*Purpureo velare comas ad operis amictu, &c.*

Sic rubens Sanctorum sanguine meretrix Babylonica, id est, Romana, *περιβεβλημένη πορφύρα καὶ κοκκίνῳ, amicta est purpurâ & cocco, Apoc. 17. v. 4. cap. 18. v. 16.* Conferantur cum

cum his, quæ *Supr. c. 3. S. 3. pag. 43. ex Marcello* (de quo videt. cap. 3. p. 41.) attulimus, & adde, quæ *Idem, lib. 3. tit. 3. S. 4. p. 127. d.* de Habitu Papæ scribit: *In nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, uti solet Pontifex cappâ purpureâ, pelibus armillinis duplicatâ, quam, ut legi, primus invenit Bonifacius nonus. Duobus autem utitur coloribus, albo & rubro, utroque in pluviali, &c. In aliis verò vestibus non sacris, supra rochetum rubro tantum, &c. Et infra rochetum utitur semper togâ albâ, & caligis rubris, &c.* Hinc ipse *Baronius, ad a. 324. n. 79. Privilegia Gentilium Sacerdotum, qui purpuram inducunt, tributa Christianor. Antistitibus, asserit.* Hæc omnia contra Concilium Narbonense, *A. 589. celebratum, ex quo Binius, Conc. To. 2. p. 722. a.* hæc tradit: *Hoc regulatiter definitum est, ut nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem: ut sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore; quia purpura maximè Laicorum potestate præditis debetur, non religiosis. Quod si quis non observaverit, velut transgressorem legis coercendum.*

V. 3. Idololatricus imprimis Papalis Capitis est ornatus, quem *Marcelli, lib. 3. tit. 5. S. 10. p. 133. a b c.* describemus verbis: *Romani Pontifices tribus miris, pro temporis exigentia, secundum antiquas ceremonias utebantur: prima & preciosior erat cum unionibus, & gemmis, & habebat auriphrygium in circulo, & titulo, & hæc utebantur in solennitatibus. Secunda etiam erat cum unionibus, auriphrygiumque tantummodo habebat in circulo, & hæc utebantur in consistoriis, tam publicis, quam privatis: per quam significabatur Regia potestas. Tertia erat alba ex damasceno sericeo, &c. Hodie quatuor Miras habemus, &c.* Ac paulò post: *Est præterea thiarâ triplici coronâ ornata; quod Regnum appellatur; per quam significatur Sacerdotalis, & Imperialis summa dignitas, atque potestas; hæc thiarâ utitur Pontifex in maximis solennitatibus, eundo ad Ecclesiam, & redeundo; sed nunquam illâ utitur in divinis.* Et *lib. 1. tit. 8. S. 20. p. 43. b.* hanc ponit notam: *Papæ nunquam fit reverentia à Cardinalibus, quando non habet pluviale & miram.* *Antoninus Diana, in suo, de Adoratione Summi Pontificis, Tractatu, cujus mentionem, Capit. 1. S. 1. p. 3. 4.* fecimus, de triplici hac corona, *Resol. 15. p. 10. b.* scribit:

bit: *Regnum in capite* (Pontificis) vulgò *Chamaurus* appellatur. Quæ vox, *Chamaurus*, ita scripta, *Calecutica* alicui, ac ne ipsi fortè *Eliæ Thisbitæ*, tam diu *Judæis* ad solvenda ἀλυστῶ expectato, intelligibilis videri posset. Nisi scribere voluerit, Vel *Camelaucum*, de qua voce *Carolus du Fresne*, in suo *Glossario*, T. 1. p. 697. 698. hæc tradit: *Camelaucum*, *Calamaucus*, *Calamaucum*, *Græcis* recentioribus καμηλαύριον, *Capitis* integumentum, & pilei genus, ex *camellorum* pilis confectum, unde nomen, &c. Et paulò post: *Camelaucus*, *vestimentum* *Papæ*. Alii à καῶμα ἐλαύνειν derivant, quòd *assum* arceat, vid. *Martin. Lex. Philolog.* Vel *Calamaucus*, prout, monente eodem *du Fresne*, l. c. p. 698. plerique è *Latinis* *Scriptoribus* pro *camelaucum*, mutatis literis, *calamaucum*, dixerunt, à *caleo*, quasi *calorem* *machinans*, eò quòd *stricta* sit, & *capiti* *imprensa*. *Martini*, l. c. in voce *Camelauchium*: Sed *puto*, inquit, esse *vocem* *verè* *Latinam* & *corruptam*, ex *Calamaceum*, quòd ex *calamis* factus esset: sicut *etiamnum* *tales* *pilei* *passim* *sunt* *in* *usu*, *latè* *expassis* *marginibus*. Talis certè *triplex* *Papæ* *corona* *non* *est*. Vel *Camallum*. Hinc *du Fresne*, l. c. *Non* *desunt* *denique*, *qui* à *Camelaucio*, à *nostris* *dicitum* *putant* *Camail*, *Italibus* *Camaglio*, *eam* *vestis* *partem*, *quæ* *olim* *caput* & *humeros* *tegebat*. Et paulò post, pag. 699. *Denique* *ab* *ejusmodi* *Camallis* *militaribus* *nomen* *mansit* *epomidi* *isti*, *quam* *deferunt* *Episcopi*, *quæ* *non* *modò* *humeros*, *ut* *hodie*, *sed* *etiam* *olim* *caput* *tegebat*: *ex* *quo* *etiamnum* *capitium* *eidem* *annectitur*. Vel *Camilla*, ad quam *vocem* *du Fresne*, l. c. p. 704. hæc *annotat*: *Theodulfus*, *lib. 6. carm. 18. de* *vestibus* *Episcoporum*:

*Pallia* *Apostolica* *data* *tunc* *de* *sede* *vigebant*,

*Iusque* *potestatis* *vestis* & *ordo* *fuit*

*Fluxa* *camilla* *caput*; *mentem* *tegit* *atra* *voluntas*,

*Aspera* *lana* *artus*, *vestis* *ovina* *lupum*.

*Sed* *legendum* *puto* *capella*, *minor* *capa*, *quæ* *caput* *tegitur*: *nisi* *sit*, *quod* *Camail* *dicimus*. At enim ad *Pontificis* *coronam* *redimus*. Quam *pretiosa* *Clementis* *V. An. 1305. fuerit* *corona*, *ex* *Platina*, *de* *vit. Pontif. p. 222. constat* *verbis*: *Coronationis* *autem* *Pontificis* *interfuere* & *Philippus*, *Rex* *Francia*, *ejusque* *frater*, *Carolus*, *nuper* *ex* *Italia* *reversus*, *Joannes* *Britannia* *dux*, *qui* *ruinâ* *muri* *oppressus* *moritur*, *cum* *plerisque* *aliis*, *dum* *pompa* *coronationis*, *ut* *fit*, *per* *ur-*  
bena

hem ducitur. Philippus quoque Rex, eâ ruinâ aliqua ex parte debilitatus est. Pontifex autem, in tanta trepidatione, ex equo deturbatus, (ac, ut Stella, de vit. & gest. Pontif. p. 212. habet, à turba pressus, vix mortis imperium evadere potuit); solum carbunculum ex tiara amisit, precu aureorum sex millium, ut quidam scribunt. Vid. etiam Christoph. Ott, Loyolite, Romam Gloriosam, p. 476. 477. qui addit: Nemo non hinc collegit, totam hanc rem Cælo displicere. Et Johannes de Bussières, Flosc. Hist. P. 2. p. 271. de hac pompa, quam supra regiam vocat, benè scribit: Ita sibi est prosperitas oneri, & qua pompam augent, ruinam urgent. Et Æneas Sylvius, (postea Pius II. vid. Cap. 2. S. 4. p. 6.) in Epistola ad Johannem de Segovia, quæ in Fasciculo rerum expetend. & fugiend. fol. 26. 27. reperitur, de Papa Felicis coronatione, A. 1440. hæc reliquit verba: Corona excellentis pretii, quam plurimi ad triginta millia aureorum censuerunt, felici capiti Felicis imposita est. Similia Platina, l.c. p. 312. de Paulo II. refert. Vid. Infr. S. 17.

VI. Varia, in hac Mitra & Corona, mysteria, sed *μυστήρια & ἀνομίας*, mysteria impietatis, 2. Thess. 2. v. 7. sed anilibus nugis referta, monstrant. Josephus Stephanus, in suo de Osculatione pedum Romani Pontificis, ad Gregorium XIII. Tractatu, pag. 126. 127. & Diana, l.c. Resol. 15. p. 11. 12. ex Innocentio III. Mitram Pontifici, in signum Spiritualium, vel Pontificii, pro Sacerdotio; Coronam verò in signum temporalium, vel Imperii, pro Regno, collatam esse, asserunt. At Potestas temporalis Pontifici Romano, nullo planè modo, sive directè, sive indirectè, competit; nec in N. T. Episcopatus & Principatus secularis uni et eidem personæ conveniunt, quod Salvator noster, & suo exemplo, Luc. 12. v. 14. Joh. 6. v. 15. cap. 18. v. 36. 37. & mandato, Matth. 20. v. 25. 26. Luc. 22. v. 25. 26. docuit. Sed neglectâ Christi doctrinâ, Gentilium Pontifices, Imperialem etiam dignitatem potitos, imitari Papa gestit.

VII. Triplicis autem Coronæ non unam Papicolæ rationem reddunt. Meritò, inquit Stephanus, l.c. p. 131. 132. coronam (triplicem scilicet, ut Stephanum Diana, l.c. p. 12. b. interpretatur,) capiti aptavit Pontifex, ut se aliis Regibus gloriâ, auctoritate, rebus gestis, superiorem ostenderet. Quibus, explicationis gratiâ, hoc unum addimus: Tanquam Antichristus, ἡπαραδόμῳ & ἐπὶ πάν το

λεγομένω

λεγάμενος Θεός, qui (ut Vulgata reddit) extollitur supra omne, quod dicitur Deus: quemadmodum & Magistratus, *Psal. 82. v. 6.* אלהים *Dis* vocantur.

VIII. Raynaudo, apud Dianam, l. c. p. 11. b. opinio Volfangi Lazii, quod triplicem esse Pontificis Romani coronam arbitratur, quia sub Patriarchatu suohabet Italianam, Illyricum, & Africam, omnium minime placet. Nam, inquit, Romanus Pontifex est Patriarcha Oecumenicus, nec illis dumtaxat tribus Provinciis, summo spiritali jure præest, sed tribus universi orbis partibus; ut proinde debuerit Lazius rationem potius petere, ex subjectis Pontifici tribus, hoc est, omnibus planè Christianis oris. Eo scilicet jure, quo ille, *Luc. 4. v. 5. 6.* dixit: *Universa, in omnia terra regna, potestas, & gloria illorum, mihi tradita est.* Conf. *Apoc. 13. v. 4.* Quid verò ipse Episcopus Romanus, Gregorius M. de Oecumenici, live universalis, titulo, quo Pontifex Romanus hodie turget, olim senserit, pluribus, ipsius Gregorii verbis, in *Vindic. Locor. V. T. Controv. Disput. XII. I. S. 31.* aperuimus.

IX. Idem Raynaudus, l. c. apud Dianam, appositè sibi philosophari videtur, si dixerit, trifforme hoc culmen Pontifici competere, ut præcelsa ejus majestatis, ad cœlestia, terrena, & inferna pertinentis, hieroglyphicum luculentum. Sicuti Innocentio X. (de cujus electione, & coronatione, vid. *Cap. 3. S. 4. 8. 9. 10. p. 43. 47. 48.*) Pontificia hæc Tiara, à Principe Cardinale Mediceo, teste autopsiæ Banckio, in *Rom. Triumph. p. 271.* hisce imposta fuit verbis: *Accipe Tiaram, tribus coronis ornatam: & scias te esse Patrem Principum & Regum: Rectorem Orbis: In Terra Vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.* Quibus Banckius immediatè subjungit: *Populo postea altissima voce ter acclamante, Kyrie Eleison.* Hinc adulatoria Ode, quæ Jacobus Gibbesius Anglus promotò huic Pontifici est assentatus:

*TU, qui sacratam tergemina præmis*

*Frontem tiarâ, cui Stygis arbiter,*

*Tellusque parec cum profundo, &*

*Obsequitur polus, INNOCENT 7.*

Vid. *Eund. Ibid. p. 313.* De hujuscemodi autem Philosophia optime S. Paulus, *Rom. 1. v. 22.* Θείων ἑνὸς σοφοῦ, ἐμπροσθεν ἡμεῶν

*Quum se dicitent sapientes, stulti facti sunt.* Hoc namque Imperium Deus uni & soli Christo dedit, *Phil. 2. v. 10. 11.* Alii triplicem Coronam ad tres distinctos Ordines, Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum, quorum supremus Rector, Caput & Dispensator esse Papa, sed falsò, perhibetur, referunt. Vid. *Banck. l. c. p. 447. & Infr. S. 16.*

X. Sed hîc non tam Papæ, ventosa animi levitate ducti, ac vanâ gloriâ & ambitione tumidi, miramur fastum, quàm Antichristianam illorum Papicolarum detestamur *παρρησιαίαν*, quâ mundanam hanc pompam sanctissimis Dei colorare Eloquiis non verentur. Qualis est *Diana, l. c. p. 12. a. ex Stephano, l. c. p. 130.* de Pontifice Romano, hæc vel Ecclesiæ, de partis sanguine Messiæ beneficiis, vel ipsiusmet Messiæ, *Is. 61. v. 10. (al. 62. v. 1. de qua, in distinctione capitum, diversitate, nostrâ in Hose, 1. v. 10. al. 2. v. 1. observationes, p. m. 66. agunt)* interpretantis verba, ex Vulgata Versione citata: *Gaudens gaudebo, in Domino, & exultabit anima mea, in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & instrumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ.* Quibus *Diana* addit: *Summus enim Pontifex sponsus Ecclesiæ vocatur, & c.*

XI. Verumenimverò in citato Oraculo est sermo, vel de integra Electorum Ecclesia, quæ Messiæ est sponsa, spiritualibus Sponsi sui vestita ornamentis; vel de Christo, quem, ex *Joh. 3. v. 29.* *Ambrosius*, de *Fid. lib. 3. c. 5. To. 2. p. m. 71. solum Ecclesiæ Sponsus*; & de *Benedict. Patriarch. c. 4. T. 4. p. 264. solum Ecclesiæ virum*, (*2. Cor. 11. v. 2.*) appellat; non de Papa, qui nec Christi sponsa, nec veræ Ecclesiæ sponsus, sed meretrix est, *Apoc. 17. v. 1.* *Nec lingua præscindenda, nec manus detruncanda*, ut *Diana, l. c.* optâsset, est *Hotomanno*, qui in *Sixti V. fulmine bruto*, citante *Diana*, *vocare Romanum Pontificem Sponsum Ecclesiæ, esse blasphemiam* dixit, quâ nulla unquam ex *Erebo* prodierit capitalior, aut detestabilior, cum id sit *Pontificem statuere pro cum Regina, & Regi Regum cornua appingere.* Nec blasphemix maculam *Diana* eluit, qui Christi Vicarium, & Ecclesiæ Caput, sine crimine, Ecclesiæ vocari Sponsum, ogganit; nisi prius Papam, & Christi Vicarium, & Ecclesiæ esse Caput, ex *Sacris Literis*, quæ solæ unica fidei & vitæ nostræ norma sunt, probaverit, vid. *Cap. 3. S. 1. 6. 10. 19. 30. p. 41. 46. 48. 56. 65.*

XII. Parùm causam Pontificiam Stephani, l. c. juvat obser-  
 vatio, Aquilam locum apertissimè transferre *ie* εἰς ἀλφειὸν σεφάνω,  
*id est*, eum esse constitutum Sacerdotem, qui in ea sacra dignitate co-  
 ronam capite deferret. Nam in Hebræo (qui solus Textus in V. T.  
 authenticus est) quidem legitur יכרן פאר quod ut Hieronymus,  
 in h. l. T. 5. p. m. 108. f. scribit, Aquila translulit: *ie* εἰς ἀλφειὸν σε-  
 φάνω, quod in lingua nostra dicitur, Sacerdotii portans coronam:  
 & reddi potest: Sacerdotem aget ornatum; sunt tamen Inter-  
 pretes, qui verba ista, nulla Sacerdotii mentione facta, transfe-  
 runt. Tremellius, patre Hebræo natus, lingua Hebræica peritissi-  
 mus, uti apud Celeb. Thuanum, *Histor. lib. 71. ad a. 1580. P. 31*  
*p. 445. c.* cluet, vid. *Vindic. nostras, Disput. XVII. S. 17.* vertit: *Qui*  
*administrat ornatum.* Interpretes Græci: Ὁς ὑποφύτω τῶν ἐκείνων  
 μοι μίτραν, Sicut sponso circumposuit mihi mirram. Syrus Interpres:  
 Et ami-  
 civit me pallio justitia, tanquam sponsum gloriosum. Arabs:  
 Ut sponso imposuit mihi dia-  
 dema. Vatablus, Regius linguæ Hebrææ Professor quondam Pa-  
 riliensis: *Tanquam sponsum, qui magnificat gloriam.* Et ipsa *Versio*  
*Vulgata*, quam Pontificii nonnulli perperam pro Authentica ha-  
 bent: *Quasi sponsum decoratum coronâ.* Hi omnes nihil de Sacer-  
 dotio. Liceat hîc adspargere, quæ Celeberr. Ludov. de Dieu, in h. l.  
 annotavit, pag. 555. *Quæritur, quid sit יכרן Juvare nos hîc potest*  
*lingua Syriaca.* In Glossario Syro-Arabico *دسلا* vertitur non  
 tantùm *الخصب id est*, abundantia, fertilitas, ubertas, quomodo  
 & vocem Syriacam reddit Ferrarius, sed etiam *الجلالة* gloria,  
 majestas, claritas. Item *العز* magnificentia, excellentia. Cum quo  
 convenit Hebræorum *כרן* quod non tantùm in Ecclesiasticis Sacer-  
 dotem, sed & in Politicis Principem quemvis & Magnatem si-  
 gnificat, virum clarum, excellentem, & in eminentia constitutum,  
 ut videre est, *Gen. 41. 45. & 47. 22. Exod. 2. 16. & 3. 1. Job. 12. 19.*  
*2. Sam. 8. 18. & 20. 26.* Unde colligere est, verbum *כרן* in Kal, signi-  
 ficasse



mil. 177. p. 320. a. b. concionatus est: Comparatio ad ea fit, quæ tunc erant in usu. Ornatus verò ille Aronicus nunc penitus disparuit, Ecclesia nunc aliis ornatur rebus, quàm externis, & Ministerium non ornatur auro, purpurâ vel gemmis, sed fide potius & virtutibus, &c.

XIV. Usurpatam Papæ coronam cum aurea Divinæ Majestatis corona, quæ Christo tribuitur, *Apoc. 14. v. 14.* in cujus capite diademata multa, *cap. 19. v. 12.* conferre, ut *Stephanus, l. c. p. 131.* & *Diana, l. c. p. 12. a.* faciunt; quid quæso ex mortali homine facere idolum est, si hoc non est? Quis in Apocalypsi Θεοπνεύσω coronati Pontificis depingatur imago, non ignorat, qui *Cap. 17. v. 3. 4. 5.* legit, de muliere, insidente bestia, habenti capita septem, & cornua decem, (*Cap. 13. v. 1.* imposita cornibus decem sunt diademata) amicta purpurâ & cocco, & inaurata auro, & lapidibus pretiosis, & margaritis, &c. in cujus fronte nomen est scriptum, Μυστήριον, *Mysterium.* Nec sine Numine & omine factum est, quòd Pontificiæ Tiaræ nomen illud, *Mysterium,* literis adamantinis inscriptum olim fuerit, quod testes bene multi se vidisse referunt, qui à variis Auctoribus citantur, vid. *Annotationes Belgarum, in h. l. Marefium, de Antichr. Revel. P. 1. c. 22. p. 420. Quistorpii Annotat. in h. l. P. 439.*

XV. Fumum imperitis vendunt, qui factum hunc Papalem ex institutione, imò & usu, *Apostolorum manasse* tradunt, quos inter *Baronius, ad a. Ch. 34. n. 298.* Edit. Colon. Hic describemus, quæ olim in Professione nostra Historica, *Let. 41. 16. Januar. 1657. p. m. 51. 52.* de Apostolorum Historia, Publicis nostris Auditoribus, ad calamum dictavimus: *Eusebius, Hist. Eccles. lib. 3. c. 31. Lat. 25. p. 85. b.* ex Polycrate, Episcopo Ephesino, hæc de Apostolo Johanne scribit: "Οτι ἢ καὶ Ἰωάννης, ὁ ἐπὶ τὸ σῆμα ἔκειτο ἀναπεσὼν, ὡς ἰσχυρῶς ἰερεὺς, τὸ πέταλον πεφορηκὼς, καὶ μάρτυς καὶ διδασκαλός, i. e. Et Johannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui & Sacerdos (de αἰγροφῶ hac nomenclatura, Patribus usitata, vid. *Vindic. nostr. Disp. XVIII. S. 41. & Supr. S. 13. p. 81.*) cùm esset, laminam gestavit, Martyr ἦ, ac doctor fuit. Hinc *Baronius, ad a. Ch. 34. n. 293. & seqq. & ex Baronio Gaultierius, in Tabul. Chronol. p. 6. col. 5.* Johannem bracteam, seu folium aureum, in capite gestasse, ceu dignitatis Episcopalis & Regiæ insigne, volunt, atque ita ab *Apostolorum*

usu manasse, ut Episcopi Christiana Ecclesia mitrâ in sacris uterentur pretiosa. *ἄχροι καὶ λόγοι.* Nam 1. Laminam auream Johannem gestasse, Polycrates non dicit. Πέταλον enim in genere folium, laminam, bracteam, non verò in specie auream sonat laminam, quæ Πέταλον χρυσῶν, *Exod. 28. v. 36.* dicitur. 2. Quis credat illum aureâ superbuisse mitrâ, qui dilectissimus Summi Sacerdotis, coronati spinis, Discipulus fuit, & Collega Petri, qui *Actor. 3. v. 6.* dixit: *Argentum & aurum non est mihi?* 3. Si lamina illa dignitatis Episcopalis insigne fuit, quare illâ Johannem tantum & Jacobum (alii etiam Marcum addunt) Auctores quidam, (at præter Scripturæ S. auctoritatem) insigniunt, vel si & ceteri Apostoli insignibus illis uti consueverunt, prout credere par est Baronio, l. c. n. 294. quare de istis, vel duntaxat, vel præ ceteris, duobus illud notatur? Quicquid sit, aureo certè vestitu Christiani Episcopi non intumuerunt, quamdiu aurei ipsimet fuerunt. Hucusque Lectio Historica. Vid. Supr. Cap. 3. S. 6. p. 46. His nunc addo, quæ Celeber. Riverus, in *Jesuit. Vapul. cap. 8. S. 7. To. Op. 3. p. 521. 522.* habet: *Sed quid de Polycrate dicemus, an eum arguemus mendacii? Ad quidem necessariò faciendum esset, si ad litteram verba ejus interpretaremur. Sed existimo, Polycratem alluisse ad ea, quæ summi Sacerdotis olim fuerunt insignia, & ea tribuisse Joanni, significatione spirituali, quia Joannes ob magnitudinem revelationum admissus fuerat velut in sanctum sanctorum, quum ei oblata fuerunt revelationes istæ, quæ in Apocalypsi describuntur, ubi etiam sub veteris Templi nominibus & partibus spiritualis & cælestis Jerusalem ei ostenditur.* Fusè etiam & eruditè hac de re scripsit Doctissimus Dallaus, de cultibus Rel. Latin. lib. 8. c. 10. & 11. p. 1058. & seqq. ubi, inter plura alia, ad Epiphani, non sine errore *μνημονικῶς*, de Jacobo scribentis, quod de Johanne alii referunt, locum; & ad testimonium, ex MS. de Marco, adhuc Judæo, nondum Christiano, respondet.

XVI. Oleum verò & operam perdunt, qui hoc ornamentum genus à Constantino Magno originem duxisse, cum Stephano, l. c. p. 126. 127. & Diana, l. c. ex Constantini fabulantur Donatione, quam nunquam vel à Constantino M. factam, vel à Sylvestro acceptam, vel prius seculis notam, sed recentioris alicujus, lymphatici ac teris ignorantia, ne quis ita tenebris circumfusus, Sacrificuli so-

mnium esse ac deliriū, A. 1659. D. Beatus Holzbalbius, Philosophiæ  
 tum Candidatus solertissimus, Comitatus nunc Kyburgici Præfe-  
 ctus strenuissimus, in *Disputatione Historico-Politica*, per Dei  
 gratiam doctissimè & peritissimè ab ipso conscripta, & summa  
 cum laude, sub meo præsidio, publicè habita, solidissimè probavit.  
 Utinam verò hodierni Pontifices vestigia exprimerent Sylvestri,  
 de quo larvatus ille Constantinus, in Donationis fabula, ita loqui  
 fingitur: *Ipse verò beatus Papa super coronam clericatus, quam  
 gerit ad gloriam beatissimi Petri, ipsâ ex auro non est passus uti  
 coronâ. Vide Laurentii Vallensis Declamationem, in eminentiam  
 hanc, & falsò creditam, Constantini Donationem, prout illa repe-  
 ritur, in Fascic. Expet. & fug. p. 74. a. b. & Banckio, de Tyr. Papa,  
 p. 627. Quod fabulæ membrum Polydorus Vergilius, de Invent. rer.  
 lib. 4. c. 7. p. m. 328. his interpretatur verbis: Aureum diadema,  
 gemmis distinctum, Constantinus Imperator primus Sylvestro,  
 Pontifici Romano, obtulit, quod ille non recepit, veluti parum reli-  
 gioni idoneum, Phrygiâ mitrâ candidâ contentus, (ut etiam Pla-  
 zina, de Vis. Pont. in Silv. I. p. 39. scribit): sed Pontificum posteritas ac  
 donum deinde Principis haud aspernata est. Hinc constat, quid  
 sentiendum, de illorum opinione, qui triplicem Pontificibus debe-  
 ri coronam volunt, quarum unam habeant, ut Summi Sacerdotes;  
 aliam ex Constantini Magni donatione, tertiam ex munere Clo-  
 dovei, Regis Francorum. Vide Dianam, l. c. p. 11. b. Conf. Supr.  
 S. 7. 8. 9. p. 77. 78.*

XVII. Quamvis, unde Papalis hæc corona originem tra-  
 xerit, inter ipsos Scriptores Pontificios non conveniat, vid. Ste-  
 phan. l. c. p. 128. à Gentium tamen consuetudine haud esse alienam,  
 ne ipsi quidem Pontificii dissentent. Sic Stephanus, l. c. p. 124.  
*Præterea, inquit, Gentium Sacerdotes, coronas capite gestabant, ut  
 decus illud tenerent, quod ad Sacerdotii præsidium maximè specta-  
 ret. Nec non Baronius, ad a. Ch. 34. n. 297. Non prætermittimus  
 dicere de Brachmanis Sacerdotibus, quos testatur Philostratus uti  
 consuevisse mitrâ gemmis ornata, veste linea, baculo in super & an-  
 nulo. Porrò non tantùm hos, sed & alios summos Sacerdotes Genti-  
 lium ornatos purpurâ, & tiarâ aureâ in capite rectorum fuisse, certum  
 est. De summo Sacerdote Dea Syria id ipsum testatur Lucianus in  
 Dea Syria: de Pontifice maximo Romana antiqua superstitionis  
 affir-*

affirmat hoc ipsum Prudentius in Romano martyre, nimirum gestare consuevisse coronam auream. Idem, ad a. Ch. 324. n. 79, hoc privilegium Gentilium Sacerdotum tributum esse Christianor. Antistitibus, asserit. Et Platina, in vita Adriani I. pag. 108. comparationem, inter coronam Cybeles & Papæ, instituit his verbis: Paulus H. ad eò muliebribus delinimentis delectatus est, conquistis undique magno precio gemmis, & exhausto ponè Ecclesia Romana arario, ut quotiescunque in publicum prodiret, Cybeles quadam phrygia ac turrita, non mitrata, videretur. Hunc (hinc) ego ortam, tum sudore prepinguis corporis, tum gemmarum pondere, a poplexiam illam puto, quâ correptus subitò morbo interiit. Ipsum imò Diabolum, quem incolæ Regni Calecut, in India, colunt, cum Pontifice coronato confert Ludovicus Romanus Patritius, qui Navigationis Indicae, lib. 5. c. 2. p. 236. 237. scribit: In sacello medio collocata est sedes, solii instar, ex are, aneum admittens, sessorem Demonem. Demon sedens Diademate redimitum caput habet, modo Romanorum Pontificum. Sed id plus habet, quod Diadema ternis insignitur cornibus.

XVIII. 4. Sed nullam Pontifex Romanus superbiæ, nequitia, blasphemia, & atheismi, relinquit hyperbolen, qui crucem auream, quam tamen cultu latria, non sine idololatria, colere Pontificii jubent. Vid. Alagona Compend. Thom. P. 3. q. 25. art. 4. p. m. 550. in calceis purpureis gestat, eamque, in osculo pedum, osculantibus porrigit, tantum non Crucem & Crucifixum conculcaturus, Hebr. 10. v. 29. tanquam acerrimus crucis Christi hostis, Phil. 3. v. 18. Sunt ipsos inter Pontificios, quos hujus pudet nequitia, ut ut mordicus alii illam defendant, uti constat ex Diana, l. c. Resol. 1. p. 1. b. Et maximè, inquit, conviciis afficiunt morem illum Pontificis, qui cum à fidelibus genuflexis adoratur, porrigit eis pedem, Cruce signatum, unde nebulones exclamant: Imperatores, & Reges, portant Crucem super eorum capita, & diademata; Pontifex verò Romanus portat illam in pedibus, & ideo Papius Masson. l. 6. de Episc. Urbis, adducit verba Jacobi Fabri, super institutam Justiniani, sic asserentis, Papa in verbis se dicit, servus servorum, se nominando; de facto tamen se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi refugit. Videtur autem id dicere, quasi damnans consuetudinem, morèque eorum, qui demississime prosum-

bunt

bunt ad pedes Pontificios, ut signum Crucis in superficie serici calcei intextum, deosculentur: qui mos, an sit antiquissimus, nescio; nondum enim omnia legi; sed hoc scio, consuetudinem illam Cisalpinis populis minus probari, quam Italica genti, ad hujus generis obsequia, & demissiones, nata, illamque constitutionem Imperatorum Theodosii, & Valentiniani, quam Eudoxio Praefecto pratorio scribunt, non erit, opinor, supervacuum, atque inutile huic loco intextere, ex lib. 1. codicis Justinian. seu Pontifices volent ea teneri, seu nolent; paria enim sunt, in calceo Crucem gestare, atque humi eam pingere. Cum sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis Religionem tueri, signum Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus, humi positum, in sculpere, vel pingere, sed quocumque reperitur, tolli; gravissimam poenam multando eos, qui contrarium statutis nostris tentaverint, specialiter imperamus.

XIX. Videamus autem, quos tibicines, ficulneos eheu! Papali huic infania, quo jure, quam injuriâ sustentandâ, quærant. *Quæ omnia*, inquit Stephanus, l. c. p. 111. cum à passione Christi habeant firmitatem, non abs re Pontifices, ut hanc mysticam intelligentiam significare viderentur, crucem pedibus impresserunt, juxta illud Psalmi 67. Ut intinguatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex Inimicis, ab ipso. Hæc verba desumpta sunt ex Psalmo, juxta Hebræos, 68. v. 24. & in Versione Vulgata ita leguntur, de quorum sensu videantur Interpretes, imprimis Celeb. River. T. 2. p. 278. Sed quid in emphatica hac cruentæ cædis descriptione, cum alicujus pedes cruore hostium rubescunt, & canes sanguinem lingunt, de cruce Pontificis pedi infixa, & à Papicolis adorata? Nisi posthabeto literalis hujus loci sensu, qui unicus est, (vid. *Vindic. nostr. Disput. I. S. 7—33. VIII. S. 4—13. XVII. S. 7. XVIII. S. 14.*) per analogiam, hanc applicari descriptionem velis Pontifici Romano, qui est mulier illa ebria sanguine sanctorum, & sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 17. v. 6. Conf. c. 18. v. 24. qui مقاتل

occisor ille, de quo *Supr. cap. 3. S. 27. p. 62. 63.* egimus. Ex Antichristiana verò Stephani παραγενεῖα, Papæ hostes essent illi, quibus pedem ipse cruce signatum exosculandum præberet. Ipsum audiamus Stephanum: Tunc, inquit l. c. pedes sanguine tingun-

tur, cum cruce Christi decorantur, tunc lingua eorum imbuuntur sanguine, cum hæretici, canum more, vestigia summi Sacerdotis lincunt, & crucem, sandaliis impressam, osculantur. Multum sanè pro hoc titulo omnes Papicola Stephano huic debent.

XX. Dicere cum *Diana, l.c. Resol. 20. p. 16. b. 17. b.* Papas crucem sandaliis, seu calceamentis, fixisse, ut Christi fideles, eorum genibus advolui, & ad eorum prostrati pedes, deosculentur non tam eorum pedes, quàm Christi triumphale signum adorent; ipsique Papæ à se honorem illum, ad Christi Domini gloriam, transferant; & tam suavi pedum præconio crucem populo commendent: est suaviter delirare. Quasi materialis crux cultu, Crucifixo debito, adoranda; quasi ingens in Dominos redundet honor, si Ministri & Legati publica illorum instrumenta, non tam ore aliis ac manibus, quàm lædis offerant pedibus, & proponant; quasi necessariò oscula Papæ pedibus infigenda. Longè meliùs suo Papa munere fungeretur, si pedibus suis ad incedendum uteretur, vid. *Cap. 3. S. 29. p. 65.* & viva commissum sibi gregem voce institueret. At Gentilium Imperatorum, qui, ut *Diana, l.c. p. 17. a.* fateatur, à populis adorandi, calceamenta gemmis ornare solebant, implere vestigia hic ipsorum Successor mavult. Sectionem hanc Lepidâ claudimus historiâ, quam sequentibus *Siricius, in Idol. Pap. p. 27.* ex Antiquitatibus Britannicis, recitat verbis: *Ad Papam cum pervenissent Regis Angliæ Legati, osculari amplius ejus ex more pedes noluerunt: sed cum Papa pedem osculandum extendisset, pusillus catulus Comitum Wiltoniensis, ingressus locum, cum pedem vidisset gemmis auròque lucentem, rem tam raram lascrivis dentibus apprehendit atque momordit. Id Papa indignè tulit, & inducto ad se illo splendido pede, altero canem abegit. Hoc omine cum Angli in risus & cachinnos profusiores essent: Papa, contrariis superciliis, causam legationis quaesivit.*

XXI. β. Non minus idololatræ ipsa Papæ est coronatio, ut, sufficientissima demonstratione, *Cap. 3. S. 6—10. pag. 46—49.* docuimus. Quæ *cap. cit. S. 7. p. 47.* de Judæis Papicolis, ex *Marcello*, attulimus, triplici hîc historiâ confirmabimus. 1. Quem Judæi honorem Martino V. in Concilio Constantiensi, A. 1417. electo, & coronato, exhibuerint, *Huldricus Reichentaler, in Descriptione Concilii Constantiensis, p. 62. a.* hæc refert: *Und da vn-*  
M
fer

ser Heyliger Vatter der Babst kame für das Haus genant zum Schlegel/do kam die Jüdischeyt zu Costencz im entgegen / mit vil grofen prinnenden kerzen/vnd hetten all ir habit an/als sy in iren langen tag steend/ vnd trugen die zehen Gebote in einem roten samatin tuch vnd vnder einer himelezen/das was ein guldin tuch vnn sungend vast in Hebraisch vnn knieoten all nyder vnd buttend im die zehen Gebot vnd batend in sy ezu bestätten / als sy von andern Bábffen herkommen wären:do empfieng er die Gebot nit aber vnser Herz der Künig empfieng sy/und sprach Moyses gebot wären recht und gutt / aber sy wölten die nit recht verston. Do redet der Babst etwas/das ich nit versteen kund. Quid sibi velint illa verba: vnd buttend im die zehen Gebot/vnd batend in sy ezu bestätten? Ad quid relativum illud, sy / referendum? Utrum ad remotius Judæorum nomen, qui sua sibi stabiliri privilegia desiderârint; an verò, ut videtur, ad proximum Deocalogi nomen, quem Judæi à Papa confirmari petierint, ἀναντιρρήτως nemo facile dixerit. Lex certè Divina χύρ, & firmamentum suum, à solo Deo, Auctore suo, adepta, sicque satis firma & vera, Psal. 19. v. 8. & 93. v. 5. à nullo vel Papa, vel alio mortali auctoritatem poscit; & Marcellus, qui, lib. 1. tit. 2. S. 20. p. 17. c. d. hunc ritum describit, sequentia duntaxat commemorat, *Judaos nempe Legem Pontifici offerre, linguâ Hebraicâ illam laudare, & hortari Pontificem, ut illam veneretur.* Sed enim omne jus & Dominium, in ipsam Dei Legem, sibi arrogare, à fastosissima Ἐνώου, ut Pontificem Romanum, ex 2. Thess. 2. v. 8. meritò appellamus, ambitione. (quemadmodum ipsum hunc Martinum V. dispensasse cum quodam, qui acceperat Germanam suam in uxorem, ex Angeli de Clavaſio Summa Angelica, Celeb. Mareſius, de Antichr. Rev. P. I. c. 24. p. 473. probat); & nimium honorem, auctoritatè mve nimiam, hypocritica sua adulatione, Antichristo Romano deferre, à verpulatorum, in reprobum traditorum sensum, excacatione. alienum nimitè est. Vid. etiam *Infr. S. 23. p. 89.*

XXII. 2. Eadem, quæ Marcellus, *Aeneas Sylvius, in Epist. Supr. S. 5. p. 77.* laudata, pag. 27. a. de Coronatione Felicis, Anno 1440. perhibet.

XXIII. 3. Major Apellarum, in Coronatione Innocentii X. erat

erat insolentia, quam Celeber. Banck, de Rom. Triumph. p. 331--346. literis tradidit: *Extra, inquit, portas Arcuum, Ducis Parmensis & Titi, totam viam, usque ad Colosseum, seu Amphitheatrum Titi, vel, Metam sudantem, variis vicissim tapetibus, peristromatibus sericis, aulais Babylonicis, Judæi, Roma Urbis incola, supra modum decorarunt, illisque ab utroque via latere, diversas chartulas deauratas, varia atque varia, è Veteri Testamento corrasa, dicta continententes, quibus & illi novum Papam salutare, & ejus honoribus gratulari, vel potius adulari, (non in omnibus sine blasphemia,) voluerunt, affigebant. A manu dextra sequentia, (inter alia,) erant ordine scripta, & periperasmatibus affixa: Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt, Jesaj. 41. (est c. 49. v. 7.) Tibi offerent Reges munera, Psal. 97. (est Psal. 68. v. 30.) Hic interposita erat Papæ effigies, cujus caput triplici Coronâ ornabatur, cum scepro aureo in manu, sub hujus pedibus, mundus depictus fuit: subscriptio verò, (inter alia): Prov. 8. (v. 31.) Ludens in Orbe terra ejus. Hic rursus interposita erat Corona aurea, cum duobus ramis Olivarum, è quibus fructus uberrimi provenire videbantur, subscriptio verò, (inter alia): Prodiit ex ore meo justè verbum, quod non revocabitur: TIBI incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam, (Jes. 45. v. 23.) Illi è regione à latere sinistro, respondebant, (inter alia,) sequentia: Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum, Psal. 71. (Hebræis, Psal. 72. v. 8. & hinc Judæi, Græcam ac Latinam Psalmorum divisionem, relicta Hebræâ, sequuntur.) Hic delubrum quoddam, artificiosè depictum erat: in quo omnis generis arma, cum galeis, clypeis, loricis, aliisque rebus militaribus, ad terram projecta, & quasi totaliter relicta videbantur. Huic delubro, (inter alia,) subscriptum: Orietur, in diebus Ejus, justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna, Psalm. 71. (Hebr. 72. v. 7.) Hic Columba cum Oliva ramo depicta, & super arca quadam collocata erat, cujus, (præter cætera,) subscriptio: Et erunt Reges nutritii Tui, & famine Principes eorum, nutrices TUAE, vultu in terram demisso, incurvabunt se, habentes honorem TIBI, pulveremq; pedum TUORUM, lingent, Esaj. 49. v. 23.*

XXIV. Rectissime igitur Vergerius, de Pompa & magnificentia, quâ Julius III. Pontifex Rom. coronatus est, pag. 16. ipsum

Papam hinc affatur: *Sed heus tu fili perditæ, ad eone hac tibi digna eo homine esse videntur, qui se in terris Christi vicariū profiteatur? Non te pudet miser? Christus cū intelligeret à nonnullis, se in Regem ex peti, clam se subduxit. Christus affirmat, Regum Gentium esse, affectare Principatus & Imperia, à qua ambitione servos suos quàm alienissimos esse cupit. Christus denique per ludibrium spine à coronâ redimitus est. Et tu, qui te pro ipsius imitatore venditas, non vereris, hoc tormentorum & machinarum bellicarum strepitu, his sumptibus, hoc splendore, & hoc apparatu plusquam regio, sustinere, ut corona tibi aurea imponatur, imò tres simul aurea corona, magnis illa & fulgentibus gemmis exornata, tanta equidem æstimationis, ut neminem unquam Regum vel Tyrannorum (quantumvis potentes & ambitiosi illi fuerint) talibus usum fuisse constet? &c.*

XXV. γ. Huc etiam Pontificis Romani facit Portatio, quam ab idololatria non esse inanem, nemo ibi inficias, qui repetet, quæ de hac Portatione, *Cap. 3. S. 24—34. pag. 59—67.* disseruimus. Cū Papicolar, Papam Imperatorum gestari humeris, nonnunquam negent; *Thesi 25. Capitis 3. p. 59. 60.* addi potest exemplum, quod *Josephus Stephanus, l. c. p. 89.* recenset. Nam, inquit, in Concilio Constantiensi, ut in ejus Actis legitur, cū omnium adclamazione *Martinus V.* in Pontificem electus fuisset, *Sigismundus Imperator, gaudio summo perfusus, ad sedem occurrens, Romanum Pontificem humeris extulit, atque sustinuit.* De hoc autem factu quid sentiendum, modò laudati rursus *Vergerii, de Julii III. coronatione, p. 11.* percipe verbis: *Sequitur deinde, quòd cū jamjam coronandus esset Pontifex, mox in ejus conspectum prodierint Romani aliquot Patricii, & quidem præcipua nobilitatis, preciosissimis ornati vestibus, partim ex auro, partim ex serico coccineo, violaceove, aut nigro contextis: magna eos comitante famulorum cetera, qui & ipsi sericis vestibus, sed versicoloribus, indui erant: quòdque ibi Pontifex, conscensâ sellâ, his Romanis (inquam Patriciis) præceperit, ut se in humeros sublatum, ad Petri scalas (ita loco nomen est) deferrent. Hæc nempe pompâ & magnificentiam gestabatur Christus, cui semel tantum in vita gestari contigit. (Christus imò crucem, cui, propter nos & peccata nostra, affigendus erat, propriis gestavit humeris; quibus verbis, *Gualtherus noster, de Antichristo, Homil. 3. p. 41. b.* Pontificem, hominum humeris molli-*

molliter, leviterque gestatum, confundit.) *Bone Deus, quàm magna est hac cecitas, belluam istam adorare, ac pro Christi vicario agnoscere! &c.*

XXVI. d. Eiusdem planè fufuris est Pontificis Romani super altare positio, de qua *Marcellus, lib. 1. tit. 1. S. 36. p. 8. a.* cujus verba *Supr. Cap. 3. S. 3. p. 42. 43.* exscripta reperies. Sic *Cardinalis Perronus*, ad Henricum IV. Reg. Gall. Romæ A. 1605. de Creatione Leonis XI. scripsit: *Le Samedi au matin, on le porta dans S. Pierre, où l' on le mit sur l' Autel, pour l' inthroniser, comme on dit: nous l' adorâmes, &c.* Vid. *Les Ambassad. & Negociat. de Card. du Perron, l. 3. p. 445.* Aliud exemplum *Supr. c. 3. S. 4. p. 43. 44.* in Electione Innocentii X. dedimus. Altaria autem, quamvis nulla in N. T. materialia erigi deberent, adorationi Divinæ destinata esse, *Ibid. S. 5. p. 44. 45. 46.* monuimus.

XXVII. e. Papolatriæ pars Capitis est apertio vel detectio. Capitis autem apertio cultûs, & civilis, & religiosi, cerimonia, ac pro temporis & loci diversitate, vel observata, vel omissa est. Qua de re eruditè ac solidè *Lud. Cappellus, in Spicileg. pag. 87—93.* & *Samuel Marefius, in Syllog. Disput. P. II p. 623. 624.* disseruerunt. Christianis Occidentalibus mos est, & à longo tempore fuit, ut homines, capitis apertione, cultum suum ac reverentiam, erga Superiores, testentur. Qui hinc ritus in Divino etiam cultu obtinet. Sed aperiendi capitis, ad honorem & cultum contestandum, in Sacro-sancta *Θεομενέως* Scripturæ Historia, nec vola, nec vestigium extat. Quando Apostolus, *1. Cor. 11. v. 4.* vult, ut vir, aperto capite, oret, aut prophetet, id à Corinthiis non exigit, quò reverentiam & submissionem hoc ritu testentur, sed è contrario, ut suam, in mulieres, auctoritatem & dignitatem vindicent, quod tota Contextûs series, *vers. 3—10.* luculenter docet. Hinc incomparabilis S. Literarum Interpres, & *Homiliastes Celeberrimus*, (ut à *Thvano, Hist. lib. 85. ad a. 1586. T. 4. p. 114. b.* vocatur, vid. *Vindic. nostr. Disput. XVII. S. 22.*) Gualtherus noster, (cujus vitam, in Tubæ Joëlis Præfatione, quæ de Templi nostri Petri, cujus ille ad tempus Pastor meritissimus erat, Historia agit, pag. 62—68. delineavimus,) in *h. l. Hom. 56. pag. 161. a.* scribit: *Paulus ex illius seculi consuetudine argumentum petiit. Nam illo tempore capitis apertio dignitatis & imperii symbolum erat,*

velum verò subjectionis. Itaque verborum istorum sensus est: Viro sibi ipsis injuriam facere, si caput velando, in sacris cœtibus, dignitatem & eminentiam suam, quâ eos Deus ornavit, diffiteantur, &c. Et paulò post: Similiter mulier (inquit) suum caput ignominia afficit, quia dum aperto aut nudo capite incedit, sibi quodammodo jus & imperium in virum vendicat, & tantum non publicè suam rebellionem proficitur, quòd nimirum, excusso jugo divina ordinationis, pro suo arbitrio, omnia velit agere, &c. Sic magnus noster Theologus, Petrus Martyr, in h. l. pag. 151. b. de viro, in cœtu caput operiente, Is pudescit, inquit, caput suum, quia non testatur donum, quod habet, principatum inquam in uxorem. Conferantur etiam Annotationes Belgarum, Bezæ, Parei, aliorum, in h. l.

XXVIII. Sed dispiciendum potius, quâ hic ritus ratione in Papæ cultu adhibeatur? Marcellus, lib. 3. tit. 4. S. 7. p. 129. b. c. Orator, inquit, cum nominat Pontificem, aut, in ejus absentia, Cardinales, detegit caput, & se profundè inclinât versùs Pontificem. Et paulò post: Inter orandum cum Pontificem appellat, caput detegit, alioquin semper est coopertum. Et Diana, l. c. Relol. 9. p. 7. a. Ritè & licitè per apertionem, & inclinationem capitis ejus (Papæ) nomen adoratur. Hinc Gregorius VII. (quem Cap. 2. S. 24 — 34. p. 22 — 27. descripsimus,) in Dict. suis, n. 10. 11. de nomine Papæ hæc dictavit: Quod illius solius (Papæ) nomen in Ecclesiis recitatur. Quod hoc unicum est nomen in mundo. Vid. Stephan. l. c. p. 96. Et quamvis sagaciores in Papatu, teste ipso Diana, Ibid. auditis & lectis quibusdam nominibus, caput aperiant aut genuflectant, non quòd ipsa nomina, sed solum ipsas personas significatas, & rememoratas per nomina, adorent: eò tamen impudentiæ Diana procedit, ut oppositum, scilicet ipsi nominibus sacris, ex præcepto Religionis, tribuendum esse honorem, ipsa nomina sacra adoranda esse, cum aliis asserere non erubescat; & quæ illi, de adoratione nominis Christi, & Beata Virginis loquuntur, ea ipsa, servata proportione, & eo modo, quo fieri potest, in adoratione nominis Pontificum procedere affirmet. Sed cum solus Deus religiosè colendus sit & adorandus, vid. Cap. 2. S. 52. p. 39. c. 3. S. 16. p. 54. Nomini Dei, quâ nomini, ut ut Deum significet, quia illud non Deus, sed extra Deum est, adoratio religiosa, absque idololatria, tribui nequit, ut Venerabilis Ecclesiæ Tigurinae Antistes, Breitingerus, celeb.

mem.in. *Concion. in Orat. Dom. Petri. 1. p. m. 33. monet.* Quid igitur de creaturarum statuendum nominibus sit, facile conjicient, quibus aliqua salis mica in cerebro est.

XXIX. Quo Pontifex rigore, a pertionem capitis, ab ipsis exigat Imperatoribus, dubitare nos non sinit *Stephanus, de Ped. Pontif. oscul. p. 91.* Qua de causa, inquit, *Federicus, Anno MCL. cum Hadriani 3. stapedam sustinere nolisset, Pontificis auctoritate, & omnium Cardinalium consensione, ab osculo pacis exclusus est. Videbat namque Pontifex, illum ab antiqua consuetudine defecisse, quâ omnes Imperatores Perri successori, ut pedissequi, obsequuntur. Quare uliro citroque exagitata disputatione, cum hinc inde quisque suas partes pro viribus rueretur, tandem, ut ait Cardinalis Nicolaus ab Aragonia, in compilatione registri Pontificum, more majorum, variis rationibus atque suffragiis impulsus est Federicus, ut stapedam Pontificis teneret, etique ex equo descendenti, demisso atque detecto capite, famularetur. Confer picturam de Alexandro III. & Imperatore Ænobarbo, quae Supr. cap. 3. S. 3. p. 69.*

XXX. Ipse interim Pontifex, caput aperiendo, honorem nemini exhibet, docente *Marcello, l. c. tit. 1. S. 2. p. 113. b. c.* Romanus, ait, Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit, assurgendo manifeste, aut caput inclinando, seu detegendo. Romanorum verò Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis, & manus, suscepit; aliquantulum assurgit, ad oris osculum, mutuo charitatis amplexu, illum benigne recipiens: idem aliquando facit & magnis Regibus: Ceteros omnes, tam Principes, quam Prælatos, cujuscunque dignitatis sint, cum ad oris osculum eos recipit, non assurgit, sed sedens recipit. Consueverunt tamen Pontifices Cardinalibus, & maximis Principibus, privatim adventantibus, & reverentiam facientibus, cum non sint in pontificalibus, aliquantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes. Et hoc non ex officio, sed ex laudabili humanitate. Qui hoc conveniat cum *Regula S. Pauli, Rom. 12. v. 10.* judicent, qui de fungorum profapia non sunt. Unde hic mos, ignorare nos non sinit *Baronius, qui, ad a. Ch. 324. n. 79.* inter privilegia Gentilium Sacerdotum, tributa Christianor. Antistitibus, etiam hoc recenset, quòd numquam pileum, insigne Flamini, deponebant; cum ceteri solerent occurrentibus caput detegere. Et addit: *Observat hoc ipsum in hanc diem*

diem Romanus Pontifex, Legat, qui velit, quæ Blondellus, de *Primat. Eccl.* p. 1114, de Oratore quodam, sua in Oratione, & Deum & Papam, *nostro Signore*, hoc cum discrimine appellante, ut si Papam intellexerit, suum aperuerit caput, si verò Deum, illud reliquerit opertum, refert. Imò nec suas Papa preces, detecto semper capite, fundit, ut *Cap. 3. S. 18 p. 56.* ex eodem *Marcello*, indicavimus, Majori ergo Papa ab Imperatoribus coli honore desiderat, quàm ipse Deum colit.

XXXI. ζ. Ad incurvationem quod attinet, quatuor Hebræi verbis quatuor in curvationis, & cultus externi describunt modos, qui in Papolatria omnes observantur.

XXXII. 1. Capitis, seu verticis, inclinationem Hebræi קריק appellat, à verbo תרר quod *inclinavit, incurvavit verticem*, versùs terram, significat, honoris exhibendi causâ. Quod verbum, in S. Literis, & de cultu Divino, seu religioso, *Gen. 24. v. 26. 48. Exod. 4. v. 31. cap. 12. v. 27. cap. 34. v. 8. 1. Chron. 29. v. 20. 2. Chron. 20. v. 18. c. 29. v. 30. Nehem. 8. v. 6.* & de cultu, vel reverentia, civili, *Gen. 43. v. 28. 1. Sam. 24. v. 9. c. 28. v. 14. 1. Reg. 1. v. 16. 31. 1. Chron. 29. v. 20.* usurpatur.

XXXIII. Quam verò capitis inclinationem Pontificis Romani exigat cultus, constat ex *Diana*, qui *Resolutioni 9. p. 6. b.* hoc præfigit argumentum: *Probat, adorationem non solum osculatione pedum Pontificibus præberi, sed etiam inclinatione capitis, quando eorum nomina, in orationibus publicis, audiuntur.* Et pag. 7. a. *Sicut per adorationem Patria adoratur, inclinando caput, nomen Jesu,* (quem nominis hujus, præ cæteris, cultum, S. Scriptura, *Philip. 2. v. 9. 10.* non docet, ut in *Tub. Joël. Conc. 74. p. 943. 944.* demonstravimus. Vid. etiam *Chamier. Panstrat. T. 2. l. 22. c. 3. S. 34. 5. p. 869. & To. 4. l. 7. c. 2. S. 44. 45. p. 349. b. Job. Munsteri in Vortl. Postill. Domest. P. 1. p. 141 — 144. Masson. Anato. Univ. Trium. P. 2. c. 18. p. 364 — 379. Instit. de Controv. Evangel. p. 21. 22. Ravanell. Bibl. P. 1. p. m. 1085. b. in voc. Genu. & P. 2. p. 369. a. in voc. Nomen. n. 7. Colloq. 2. Viator. de controv. Evang. p. 155 — 160. Annotat. in h. l. Belgar. Bez. al. in synops. Poli, T. 5. p. m. 812.) & *Hyperdulia* (Pontificia hæc Adorationis distinctio ἀρετῶν est, & futile), *nomen Beata Virginis, sic & per adorationem Dulia possunt adorari, inclinatione capitis, nomina Sanctorum existen-**

stentium in Calo; sicut adorantur, quando nominantur in Missa, sic & etiam nomina hominum viventium, ratione excellentis dignitatis, ut Summi Pontificatus, &c.

XXXIV. Quid Baronius, ex Alexandri III. Actis, de quodam Saracenorum Principe, qui *inclinato capite, tamquam sanctum & pium Christianorum Deum, adoraverit ipsum Pontificem*, referat, Cap. 3. S. 42. p. 72. recensuimus. Quibus vix adhibebunt fidem, qui in Muhammedismo non planè hospites sunt, nisi Saracenus ille adulationis potius, quàm suæ habere religionis rationem maluerit. Frequentia namque in Alcorano hæc & similia sunt verba, Surat. 3. p. m. 73. *الله لا اله الا الهى القيوم* Non est Deus, nisi ille vivus, subsistens perpetuo, æternus. Et mox, p. 74.

*الله لا اله الا هو العزيز الحكيم* Non est Deus, nisi ipse ille potens, sapiens. Et quemadmodum Muhammedani, (qui Christianos

لانهم يشركوا بالله Associatores appellant, *وما امروا الا ليعبدوا* quia Deo adjungant socium :

*الله واحدا لا اله الا هو سبحانه عما يشركون* cum jussissent unum Deum colere: Non est Deus, nisi ille. Apage cum illo, quod ipsi associant: ut hanc Celeb. VVarnerus, in Compend.

Muhammed. p. 37. ex ipso Alcorano reddit rationem,) blasphemè hæc de *ὁμοσιω* Dei Filio interpretantur: ita verè Alcoranistæ hæc Pontificiis, in cultu Divino creaturas Deo adjungentibus; & isti suo inter illos Legato, ac Principi, Papam, tamquam pium & sanctum Christianorum Deum, adoranti, applicarent. Deum namque in cultu non agnoscere socium, ipsi Muhammedani hisce farentur verbis, quæ VVarnerus, in Append. Miscell. Theol. p. 45. ex

commentario in Alcoranum descripsit: *السنجدود الله تعالى*

*علي سيدل العباد ولغيره علي وجه التكرمة كما* Adora-  
*سجدت اطلايكة لادم وابوا يوسف واخوته له*

rio Deo maximo convenit, ratione cultûs; aliis verò, ratione honoris. Quemadmodum Angeli adorârunt Adamum, (de qua Alcorani fabula, in quadam Academica Disputatione, 'Emuël. 2. egimus) & pater Josephi, illiusque fratres, Josephum adorârunt. Quibus verò ipse Pontifex inclinati capitis honorem, vel exhibeat, vel denegat, *Supr. S. 30. p. 93.* Marcellus nos docuit.

XXXV. 2. Secundam incurvationis speciem Hebræi כריעה כרע à כרע vocant, & קנת הרוף עם כריעת הראש עם, *inclinationem capitis, cum parte corporis, ut Kimchius, in Psalm. 95. v. 6.* loquitur, i. e. cum superiore corpore usque in genua, significare volunt. Hæc autem vox in Contextu Sacro, vel sola polita, hunc incurvationis ritum, vel cum additione quadam, alios reverentiæ modos, notat; & usurpatur: de cultu Divino, 2. *Chron. 7. v. 3. Psalm. 95. v. 6.* ubi à genuflexione distinguitur, *Esræ. 9. v. 5. Is. 45. v. 23.* de idololatrico Bahalis cultu, 1. *Reg. 19. v. 18.* de politica reverentia, 2. *Reg. 1. v. 13.* Utramque significationem, *Psalm. 72. v. 9.* & cultûs politici; respectu Salomonis; & Divini, respectu Messia, admittere potest.

XXXVI. In Pontificis etiam cultu כריעה superioris corporis incurvatio, singulari ritu, adhibetur. Ipsi enim Cardinales *bis se profundè inclinare* aliquando coguntur, quod *Cap. 3. S. 1. p. 42.* in Marcelli verbis, & Innocentii X. coronatione, *Ibid. S. 4. 7. p. 43. 47.* videre est. Hæc incurvatio per se idololatrica non esset, eam modò solam, & duntaxat civilem, Pontifex Romanus admitteret.

XXXVII. 3. Tertia incurvationis species est γονυκλισία, seu genuum flexio, quam Hebræi per verbum כרך *genua flexit*, indicant. Hinc *Kimchius, l. c.* ad vocem נברכה hæc annotat: הרי כריעת הכרכים בארץ *Hæc est inclinatio genuum ad terram.* Cerimonia igitur est, quâ supplicaturi aliis, vel summum eis honorem exhibituri, in genua concidimus; Cujus ritûs frequentiora, in S. Literis, in profanis Auctoribus, ac quotidiana praxi, exempla occurrunt. Singulari Romanus etiam Pontifex genuflexione adoratur. Hinc *Diana, l. c. Resol. 3. p. 2. a. b.* *Affero, ait, contra Hæreticos, (hoc suo nomine Orthodoxos fortè appellat,) licitè Summum Pontificem, genuflexione & osculatione pedum, in Ecclesia semper adoratum fuisse.* Quædam autem singularia, in hac γονυ-

κλισία, Pontifici Romano exhiberi solita, probè probèque observasse non pœnitebit.

XXXVIII. \* Ea Antichristus Romanus S. Scripturæ loca, quæ de κλισία, i. e. cultu & adoratione, soli Deo debita, agunt, non absque blasphemia idololatria, sibi applicari patitur. Quemadmodum Judæi Romani Innocentio X. recens electo, gratulaturi & adulaturi, ipsissima omnipotentis Dei verba, *Jes. 45. v. 23. Rom. 14. v. 12.* turpissimè detorserunt. Vid. *Supr. S. 23. pag. 89.*

XXXIX. † In Adoratione Papali non unum, sed utrumque genu est flectendum, teste *Suarez, de Virt. & Stat. Relig. Tr. 2. lib. 1. c. 2. S. 8. p. 54. b.* Similiter ait, *genus flexio ad hominem adorandum fit, sed ordinariè fit tantum uno genu, & ideo, qui reverenter Deum colunt, solent utrumque genu in terram figere, &c.* Ac mox: *Verumtamen hoc signum interdum etiam exhibetur homini in signum adorationis, sicut de quodam Quinquagenario legimus, 4. Regum. 1. (2. Reg. 1. v. 13.) qui hoc modo adoravit etiam, & nunc solemus utrumque genu coram Pontifice flectere.* Sic in *Eugenii IV. Nummo Concordiæ, A. 1439.* duo viri, Græcus alter, alter Armenius, testè capita, procumbentes in genua, manusque ad Pontificem tendentes, concordiam petunt, vid. *Doctiss. D. Andrea Arnoldi, qui Celeberr. D. Christophori Arnoldi, Pastoris & Professoris Norimbergensis, Filius haud degener est, Disputation. de Denar. Petri, p. 59.*

XL. † Nec in una Pontifex genuflexione semper acquiescit, sed trinam exigit; *ab omnibus mortalibus, præsertim Christi fidelibus, cujus cunque sint dignitatis, & præminentia, ut Marcellus, cujus verba Cap. 3. S. 1. p. 41. exscripsimus, loquitur; à Cardinalibus, Ibid. p. 42. quem Cardinales honorem Innocentio X. Pape novissimè electo, & super altari collocato, exhibuerunt, vid. Ibid. S. 4. p. 43. Sic Prælati coram Pontifice, Missam celebrante, ter genu flectere tenentur, teste Marcello, Ibid. S. 12. p. 50. Eadem de receptione Regis, (de qua vid. Ibid. S. 37. p. 69.) Marcellus, lib. 1. tit. 13. S. 2. p. 53. c. perhibet: Rex tertio genu flectet in conspectu Pontificis, &c.*

XLI. † Hac igitur servili genuflexione ne potentissimi quidem, vel Imperatores, vel Reges, sunt immunes, At *Stephanus*

nus, l. c. p. 101. de Imperatore Græco scribit: *In Concilio Florentino, Imperator Joannes Palaologus, cum ante pedes Pontificis, in genua procumbere voluisset, humanitatis causa, ab Eugenio prohibitus est. Quam verò humanitatem Sguropulus, in Historia Concilii Florentini, cui ipse interfuit, Sect. 6. cap. 15. p. 164. parùm laudat. Conf. Supr. cap. 3. S. 35. p. 67 68. Aliud item Marcellus ab Imperatore coronando postulat, vid. Supr. c. 3. S. 36. p. 68. Juxta Eundem, lib. 1. tit. 5. S. 10. p. 24. c. Casar, descendens è suggestu, venit ad pedes Sanctis. Dom. nostri, &c. Pontifex gladium Imperatori, ante se genu flexo, tradit, ipse cum mitra sedens. Eadem cerimonia, in Imperatoris, Romam profecti, receptione observatur, vid. Cap. 3. S. 37. p. 68. De Regibus, vid. Sect. praced. 40. Hinc tanta tamque audax Innocentii II. impudentia, ut Lotharium II. Imperatorem, Romæ, in Basilica Lateranensi, tanquam vasallum, flexis genibus Imperialem coronam à Pontifice accipientem, depingi curaverit, adscripto in sulso epigrammate, quod Radevicus Frisingensis, de Reb. Gest. Prideric. lib. 1. c. 10. p. 266. recitat:*

*Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,*

*Post homo fit Papa, sumit quo dante coronam.*

XLII. π Silentii involvenda supparo non sunt, quæ porro Marcellus, lib. 1. tit. 3. S. 9. p. 20. b. hac de genuflexione habet: *Cum Pontifex bibit, consueverunt omnes astantes, præter Episcopos, & superiores dignitatis viros, genu flexere, quod servari nostris temporibus vidimus, quamvis in nullo ceremoniarum libro id legimus.*

XLIII. 4. Ultima & suprema incurvationis species Hebræis השתחויה dicitur. Quam R. D. Kimchi, in Psal. 95. ad vocem, ואתחווה, ita definit: *והוא שטוח כל הגוף בארץ פשוט ידים ורגלים* Hac est prostratio totius corporis in terram; expansio manuum & pedum. Derivatur à שחח abjecit, prostravit, depresso, inclinavit, incurvavit se; In Hichp. procubuit, incurvavit se, adorandi, vel honoris exhibendi causa. Hac autem vox in Contextu Hebræo, de vero Dei cultu, usurpatur, Deut. 26. v. 10. De hac reverentia R. Salom. Jarch. in Levit. 26. v. 1. observat: *השתחוואה בפשוט ידים ורגלים היא ואסרה תורה לעשות כד חוץ מן המקדש* Hac incurvatio fit cum expansione manuum & pedum, unde prohibet Lex agere sic extra Sanctuarium. Quæ tamen observatio,

vatio, extra omnem dubitandi aleam posita non est, Eadem vox in idololatriæ, & descriptione, & prohibitione, adhibetur, *Exod. 20. v. 5. fef. 46. v. 6.* Vid. *Supr. cap. 3. S. 27. p. 60.* Hinc Naaman incurvationis suæ, in domo Rimmon, veniam petit, *2. Reg. 5. v. 18.* De idololatriæ incurvatione R. *Moses Majemon. de idololatria, cap. 3. S. 10. p. m. 47.* hunc habet Canonem: *ישב לו קוץ ברגלו לפני עב ום לא ישוח וישלנו מפני שנראה כמשתחוה לה נתפדרו לו מקות בפניה לא ישוח וישלם מפני שנראה כמשתחוה לה אלא ישב* *Infixa est spina pedi ullius ante idolum,* (proprie cultores stellarum & planetarum, quo nomine olim Gentiles, & nunc Christianos idololatras vocant): *ne se incurvet ad eam evellendam: quia videretur aliqui se idolo incurvare. Dispersi sunt nummi ante idolum: ne se incurvet ad eos tollendos; qui prope idolo videretur se incurvare; eoque consideras, & sic tollat.* Hæc vox etiam reperitur in cultu, Hamani ab Aulicis exhibito, quem isti Mordecaj negavit, *Esther. 3. v. 2.* imitatus Cononem Atheniensem, qui *Regis ( Artaxerxis) aspectu & colloquio prohiberi, quam eum, more Persarum,* (qui prostratis humi corporibus Regem salutaverunt, ut *Valerius Maximus, Memorabil. lib. 7. c. 3. p. m. 349.* loquitur,) *adorare, maluit, teste Justino. hist. lib. 6.* Alexandro M. *valia concupiscenti, non defuisse perniciosam adulationem, perpeuum malum Regum, quorum opes sepius assentatio, quam hostis evertat, egregie Quintus Curtius, de rebus gest. Alex. lib. 8. p. m. 234.* monet. Sed & eadem vox licitum civilem notat cultum, *2. Sam. 16. v. 4.* Hanc verò civilem prostrationem, Reverentiam melius dici, quam Adorationem, nonnulli volunt: quos inter ipsemet Loyolita, *Pererius, in Gen. c. 18. v. 2. To. 3. p. 408. n. 7. & To. 4. p. 351. in Gen. 33. v. 3.* ubi hanc reddit rationem *Latinum verbum, adorandi, ferè non est in usu, neque apud Theologos, neque in vulgari Christianorum sermone, nisi in veri soliusque Dei cultu.*

XLIV. Quæ in Papolatria adhiberi soleat prostratio, Cerimoniarum libri, & Historiarum monumenta abundè nos erudiunt. Imperator a Pontifice excipiendus, *in ter ampronus, Pontificis pedes osculatur,* ut ipse Marcellus, cuius verba, *Cap. 3. S. 37. p. 68.* citavimus, loquitur. Quid de Justino seniore, qui, juxta Anastasium, *in terram pronus Joannem Papam adoravit,* sentiendum, *Ibid. S. 42. p. 71,* monuimus. Confer etiam, quæ *Cap. 2. S. 33.*

p. 27. & c. 3. S. 5. p. 45. de Rege Henrico, prono in terra, cum omnibus aliis, Clementem, Papam recens electum, adorante, ex Martino Polono, allegavimus. Sic Cardinalis Lantius, teste Banck, in terram se conjiciens, genuflexus, humilissimo & penè abjectissimo ritu, pedes Innocentii X. nuperrimè electi, deosculatus est, vid. *Ibid.* Sect. 4. p. 43. Eundem Leoni X. honorem, verbis detulisse & dedisse M. Lutherum, refert Johannes Delphius, de Potestate Pontificis, p. 13. Quem animum, inquit, & in Luthero quidam mirati sunt, qui post primam suam discessionem, cum Leone 10. in gratiam redire cupiens, talibus verbis, cum alloquutus est: Beatissime P. P. prostratum me pedibus tua beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit, (vocem tuam,) vocem Christi, in te presentis, & loquentis, agnoscam. Hac ille. Caterùm hanc sententiam suam insigniter retractavit, in libro, quem edidit contra Papatum. Quæ Luheri Epistola, A. 1518. exarata, in illius operibus, Edit. VViteberg. T. 1. p. 100, 101. reperitur. Necessariò his ipsam Lutheri subjecimus retractationem, quæ continetur in ejus Præudio, de captivitate Babylonica Ecclesia, quod hisce exorditur verbis: Martinus Lutherus August. Hermano Tulichio suo, salutem. Velim, nolim, cogor in dies eruditior fieri, tot tantisque magistris certatim me urgentibus & exerceentibus. De indulgentiis ante duos annos scripsi, sed sic, ut me nunc mirum in modum pœniteat aditi libelli. Hærebam enim id temporis magna quadam superstitione Ro. tyrannidis, unde & indulgentias non penitus rejiciendas esse censebam. Atque utinam à Bibliopoliis queam impetrare, & omnibus, qui legerunt, persuadere, ut universos libellos meos de indulgentiis exurant, & pro omnibus, quæ de eis scripsi, hanc propositionem apprehendant: Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitia. Et paulò post, de Papæ primatu: Sed ut audiivi & legi subtilissimas subditates istorum Trossulorum, quibus suum Idolum fabre statuunt: scio nunc, & certus sum, Papatum esse regnum Babylonis, & potentiam Nimbroth, robusti venatoris. Proinde & hic, ut amicis meis omnia prosperrimè cedant, oro Librarios, oro Lectores, ut iis, quæ super hac re adidi, exustis, hanc propositionem teneant: Papatus est robusta venatio Ro. Episcopi, &c. Meritò ergo Gualtherus, de Antichrist, Homil. 4. p. m. 53. b. Lutherum, acerrimo

*mum Romana Sedis hostem, ac Pontificia tyrannidis malleum invictissimum, appellat.*

XLV. Quam turpissimè Summi Principes, Imperatores, & Reges, ad putidos Romani Pontificis sese abjicere pedes coacti sint, nemo, nisi, qui Literas penè omnes, ignorat. Quem fugit tyrannica Alexandri III. nequitia; verbum mihi deest, cum ego hanc nequitiam tyrannicam appello, sed profectò major quædam est, quam erga Fridericum Ænobarbum, Imperatorem, Venetiis, ad januas Ædis S. Marci, exercuit, vid. *Cap. 2. S. 51. p. 40. & cap. 3. S. 37. p. 69.* Non extra oleas, quod dicitur, fortè curremus, quasdam, hac de historia, observationes לפום רדטא proposituri. Quamvis Celeberrimi sint viri, qui communi, de hac Historia, famæ, vel quibusdam potiùs ejus circumstantiis, diffidant; sunt tamen alii, non minùs celebres, Historici, Theologi & Philologi, qui suis illam Lucubracionibus, ex veterum monumentis, insitam voluerunt. Aliquos, ex Tigurinis, aliis, ipsis quoque Pontificiis, adduxisse sufficiat.

XLVI. Ex Tigurinis, quos mihi nunc videre contigit, sunt: 1. *Bullingerus*, secundus, post Reformationem, Ecclesiæ Tigurinæ Antistes, in *Apoc. cap. 1. 3. Cons. 60. p. m. 178.* sic in *auro magis aurco Compendio Historico, hætenus, quod sciam, ἀvendότω*, cujus Authographum, ipsa Bullingeri manu exaratum, Bibliothecæ meæ Κεμπλιον est: Nec non *Lib. de Antichrist. p. 124. b.* ac in *Histor. Pontif. Rom. p. 119. b.* quos duos Tractatus, inter Magni illius Viri, de quo vid. *Vind. nostr. Disp. XVII. S. 21.* Manuscripta ἀvendότω, Bibliotheca nostra Carolina conservat; ut & in *Homiliis ἀvendότω*, quibus totum Psalterium, & in eorundem *Psal. 91. v. 13.* Auditorio suo Ecclesiastico explicuit; quas omnes *Clariss. D. Joh. Rod. Hofmeisterus*, meus ante 35. annos Professor, parentis loco semper venerandus, nunc Collega conjunctissimus, sedula manu descripsit, ac mecum communicare dedignatus non est. 2. *Gualiberus, de Antichr. Homil. 3. p. m. 29. 30. 39. b. 3.* Szumpsius, *Chron. lib. 2. c. 26. p. m. 88. b.* 4. *Zuinglius*, Reformatoris Nepos, *Chronol. l. 4. p. 147.* 5. *Hortingerus, Hist. Eccles. T. 3. p. 12.* 6. *Hofmeisterus, in Panacea Nominis Jesu, p. 548.* 7. *Ottius, in Anti-Baron. & Compend. Historic. minori, ἀvendότ. ad Secul. XII. sub Alexandro III.*

XLVII. His aliarum Ecclesiarum & Scholarum Præsides  
adjun-

adjungere bene multos possemus: aliquos saltem, quos hac quidem vice ipsi inspicere potuimus, juxta temporis, quo scriperunt, ordinem, producemus. Et sunt: 1. *Franck, Chron. Germ. p. m. 169. b.* 2. *Alardus, de Tradition. Eccl. Rom. p. m. 116.* 3. *Centuriatores Magdeburg. Cent. 12. c. 10. p. 676.* 4. *Canonis Chronic. expositionum & auctum à Melanchrone, & Peucro, l. 4. p. m. 623.* 5. *Baleus, de Rom. Pontif. Act. l. 5. p. m. 256.* 6. *Pantaleon, Chronog. P. 2. p. 267.* 7. *Foxus, Ercasm. in Apoc. 13. p. 415.* 8. *Herzog, Chron. Alsat. l. 2. c. 27. p. 37.* 9. *Dresserus, Millen. 6. Isag. Hist. p. 362. 363.* 10. *Serranus, Invent. Hist. Franc. Edit. Gall. p. 436. 437. Lat. p. 110.* 11. *Vvertichius, Chronic. Augustan. P. 2. p. 67.* 12. *Martyrolog. Majus Gallic. p. m. 24. & Minus, p. m. 85. 86.* 13. *Marnixius, Alvear. Rom. P. 2. c. 10. p. m. 135. b.* 14. *VVolfius, Lektion. Memor. Cent. 16. P. 2. p. 803.* 15. *Grasserus, Theaur. l. 4. p. 526.* 16. *Lampadius, Mellif. Hist. P. 3. p. 247.* 17. *Hentznerus, Itiner. p. 410. qui A. 1599. Romæ, in Palatio Vaticano, hanc libri historiam, artificiosissimè depictam, fuisse monstratam, testatur. Vid. Infr. S. 48.* 18. *Sculterus, Postill. Psal. P. 1. p. m. 371.* 19. *Steph. Fabricius, in Ps. 91. conc. 5. p. m. 237.* 20. *Mornaus, Myst. iniq. p. 720. 721. qui, in margine, aliquot Pontificios Auctores citat.* 21. *Molinaus, de Nov. Pap. l. 1. c. 37. p. 127. Edit. Gall. 150. Germ. & Hyperasp. l. 1. c. 23. p. 170. 171.* 22. *Jonstonus, Compend. Hist. p. 171.* 23. *Rruerus, qui in Jesuit. Vap. c. 28. S. 4. T. 3. p. 576. b. scribit: Quam historiam referunt viginti Historici, omnes Pontificii, quorum testimonia citantur, ab Hieronymo Bardo, in libro, cui titulum fecit, Victoria Navalis, Veneris edito, anno 1584.* 24. *Viccars, Decapl. in Ps. p. 268. b.* 25. *Maresius, Antich. Revel. P. 2. c. 14. S. 4. p. 503.* 26. *Larus, Comp. Hist. c. 13. S. 2. p. m. 276.* 27. *Joh. Crocius, Antibec. T. 1. cont. 6. S. 4. n. 15. p. 778. b. & S. 6. n. 22. p. 818.* 28. *Christianus Matthia, Theatri Historici, pag. 938. 939.* 29. *Ravanell. Bibl. Sac. P. 1. in Conculcare, p. m. 542. a.* 30. *Banck, de Tyrann. Pap. c. 18. p. 467. 468.* 31. *Cluverius, Epit. Hist. p. 504.* 32. *Boxhornius, Histor. Univers. p. 690.* 33. *Schulze, Chron. p. 90.* 34. *Stratemanus, Theatr. Histor. p. 742. 743. 753.* 35. *Buno, Idea Univ. Hist. Sec. 12. p. 178. ubi rei narratæ addit: Hoc vulgò creditur, absque tamen Scriptorum illorum testimonio, qui avæ isto vixerunt. Contrarium vid. Infr. S. 49.* 36. *Hornius, Histor. Eccles. p. 154. Edit. Germ. p. 172.*

37. *Pet. Verenselsius, in Psal. 91. cont. 14. p. 215.* 38. *Siricius, Idol. Pap. c. 9. p. 83.* 39. *Turretinus, de necess. Secess. ab Eccl. Rom. Disp. V. S. 17. p. 134.* 40. *Spanhemius, F. Introd. ad Hist. & Antiquit. Sacr. p. 663.* 41. *Hofmannus, Lexic. Univ. P. 1. p. 82. a. 663. b.*

XLVIII. Viginti Pontificios Historicos hanc referre Historiam, *Supr. S. 47. p. 162. ex Riveto, & plures à Mornao citari, percepimus, ita ut non inanis sit fabella, ab hæreticis, nostri temporis, (eorumque fautoribus schismaticis, ut Parisiensis Conciliorum Editio, T. 27. p. 433. habet) solius Naucleri, (Edit. Paris. recentiorum dumtaxat, & potissimum Bessarionis, secundam unam eamque mendacem ejus lectionem, sed bene est, quod calumniae hujus auctor, in utraque Editione, addat: quantum ego sciam,) auctoritate fretis, sanctissimo & humilimo Pontifici afficta, quemadmodum Binius, T. 3. Concil. p. 1336. a. 1345. b. & eum secuta Paris. Edit. non sine contradictione, mentiuntur. Conf. Bucelin. Nucl. Hist. Univ. a. 1177. Forrer. de Antiq. Pap. P. 1. l. 1. p. 455. Si enim, quos vocant, hæretici nostri temporis, in hisce, vel solius Naucleri, vel potissimum Bessarionis, sequuntur auctoritatem, non ipsi illa finxerunt; nec Historiæ hujus narratores solius vel Naucleri, vel Bessarionis frui auctoritate, nōsse poterunt, qui *Bardum*, mihi hætenus non visum, sed *Suprà à Riveto* citatum, & *Auctores, à Mornao allegatos*, ac à nobis, *h. l. commemoratos*, inspexerint. Confer *Infr. S. 49. 50. 51. Bessarionis* verò lectionem, absque ulla addita ratione, vocare mendacem, desperatissimæ causæ est indicium. Hæreseos insuper & schismatis dicam, *h. l. non tam nostræ, quàm suæ communionis, scribunt Auctoribus, ex quorum numero unus & alter, Veneti imprimis Scriptores, ut nunc quidem nostras sunt ad manus, prodeant.* 1. *Jac. Philippus, Pergomas, Ord. Eremit. in Supplemento Supplementi, l. 12. p. 226. b. Venet. impress. 1486.* 2. *Chronica Germanica, A. 1493. Norimberga impressa, p. 202. b.* 3. *Tritemius, Abbas, de Scriptor. Eccl. p. m. 90. a.* 4. *Nauclerius, Vol. 2, Chronog. Generat. 40. p. 856.* 5. *Stella, Sacerdos Venerus, de Vit. Pontif. p. 179.* 6. *Sabellicus, Rer. Venet. Dec. 1. l. 7. T. 2. p. 1167.* 7. *Pet. Justinianus, Patricius & Senator Venerus, Rer. Venet. l. 2. p. 48.* 8. *Joseph Stephanus, vid. Infr. S. 50.* 9. *Azorius, Loyolita, vid. Ibid.* 10. *Sansovinus, in Descriptione Veneriar. aucta à Joh. Stringa, Canonico Ecclesia S. Marci, impres-**

sa Venet. 1604. Qui, l. 8. p. 245. picturam, in conclavi, quod Sala del gran Consiglio, dicitur, à famolissimo Pictore, Friderico Zucaro, factam, & in illa, totam Alexandri & Friderici Historiam, describit. 11. Loredanus, Nobilis Venetus, in vita Alexandri III. impress. Venet. 1653. p. 70. 71. vid. Supr. Cap. 3. S. 37. p. 69. 12. Baptista Nanus, Eques & Procurator S. Marci, in Hist. Reip. Ven. Impress. 1662. Qui, l. 10. p. 648. 649. Historiam hanc, Romæ depictam, tempore Pii IV. habita Cardinalium, & eruditorum, deliberatione, ex antiquissimis documentis, confirmatam, à Baron. indubium quidem vocari, rectè tamen credi, asserit; describitq; quàm vehementer Senatus Inscriptionis, ab Urbano VIII. mutatæ, restitutionem urserit. Conf. quæ *Id.* p. 713. 714. habet.

XLIX. Cùm igitur 1. non hęc de anili fabula, avidis imperitorum duntaxat auribus hausta, sed Historia, cordatioribus ac ætiosioris Scriptoribus, aliorum scrupulis sùsque deque habitis, probata, agatur; 2. Cùm narratio sit, non in Reformatorum cerebello χῆς ἢ πῶς χῆς nata, sed à Pontificiis, quà veterioribus, quà recentioribus, quà peregrinis, quà domesticis, nobis propinata; 3. Cùm, teste Ruperro, (qui tamen illud, de presso Friderici collo, additamentum indubium vocat, *Observ. in Synop. Besold. cap. 18. p. 663. 664.*) p. 671. 672. Ouvo, Ravennas Presbyter, Scriptor avo isti proximus, qui, lib. 7. & 8. *Hist. res, inter Alexand. & Frid. gestas, enarrat*, hanc etiam Historiam referat; ut nihil dicamus de Fortunato Olmo, qui, monente eod. p. 685. rem, ex monumentis & Archivis, reverà factam asserere dicitur; 4. Cùm tota illa Historia, & Romæ, & Venetiis, in loco publico, reperiatu depicta, uti Banck de Tyr. *Pontif. p. 468. toties se vidisse* testatur, vid. *Supr. S. 47. 48. & c. 3. S. 37. p. 69.* 5. Cùm nihil contineat, quod vel fidem superet, vel ab Alexandri III. insolentia, vel ab imperatorum, & Regum, sub Antichristianismi jugo, miseria, alienum, vel ab aliarum Historiarum circumstantiis sit absonum; non videmus, cur hęc vel ἐπέχεν, vel subdubitare debeamus.

L. Utut verò alii hæc ab *Italīs*, in Germanorum contumeliam, conficta esse sentiant, vid. *Rupert. l. c. p. 666.* At enim major inde ipsius Pontificis est infamia; hinc *Baronius, ad a. Ch. 1177. n. 86. factum illud* (quod ipse negat) *penitus insuetum, surgens fastu facinus, & n. 87. rem sui magnitudinis mirandam, novitate sin-*

gularem, indecentiâ monstrosam, vocat. Ita ut nonnullis Historicis, de quorum silentio, nimium *Loyolita Ott.* in *Roma Gloriosa*, p. 425. 426. 427. gloriatur; idem, hac in parte, cum *Cicerone*, fuerit animus, cujus, *Orat.* 19. in *Catalin.* 1. n. 14. p. m. 444. hæc sunt verba: *Nonne etiam aliquo incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, & facile patior sileri, ne in hac civitate, tanti facinoris immanitas, aut existisse, aut non vindicata esse videatur.* Et quamvis hæc non *Historia*, sed *feriantium figmentum, dormientium somnium, & credulorum essent seductio*, à quibusdam *descripta*, pluribus *credita*, qui *pauca legerunt, lecta minus considerârunt, aut aliâs Romana Sedi fuerunt infesti, ut Loyolita, l. c. p. 425. allucinantur.* Talisne *Æn. Sylvius*, quem, p. 536. *scriptis, & rebus gestis, ante Papatum celebrem, appellat?* Talisne *Bessarion, Cardinalis?* Hos enim ipse, p. 527. *Hiltoriam*, de qua nunc controversia, *descripsisse refert.* Interim nonnulli, qui rem hanc posteritati reliquerunt, *luculenter satis hæc ipsâ panderunt, quem Papi-colæ Papæ deferri honorem cupiant.* Vid. *Supr. c. 3. S. 42. p. 71.* Parum namque Pontificis *superbiæ defuisset, si substituisset in illis, quæ Romualdus, qui præsens adfuisse dicitur Baronio, a. 1177. n. 40. ibid. n. 68. recenlet: Cúmque ad Papam (Imperator) appropiasset, taclus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ rotum se extenso corpore inclinavit, Pontificis pedes exosculatus, ut Platina, de vit. Pont. p. 181. verba sonant.* Vid. etiam *Beyerlinck, Theat. vit. hum. To. 6. p. 539.* Enimverò eò nonnulli procedunt impudentiæ, ut non solum factum controversum non negent, sed *sequipedalibus etiam verbis commendent, & cum pœnitentiali veterum υποπόσει, subjectione, seu substratione, quibus verò dis δια προσων discrimen inest, conferant; quos inter est Stephanus, l. c. & ad Gregor. 13 scripto, p. 49. & seqq.* Sic *Loyolita Azorius, Instit. Moral. T. 2. p. 760.* hoc exemplo Papæ potestatem probat.

L I. Sed ipsam tandem rem, ex Auctore aliquo Pontificio, percipiamus. Ipse *Baronius, a. cit. n. 2. meminit Codicis Chronicor. dignæ memoria Cardinalis Bessarionis, qui summâ diligentia & honore asservari dicitur, in Bibliotheca Venetâ, pluteo 17. &c.* Ex eo, n. 5. hæc recitantur verba: *Tunc fœdere Alexander Pontifex invito, confestim ad januas Templi divi Marci accessit, & ibidem, u-*

*niverſo aſtante populo, Imperatori juſſit, ut ſe humi proſterneret, & veniam denuò poſtulareret, cum ſummus Pontifex Caſaris Imperatoris collum pede comprimens, ait: Scriptum eſt; (Pſal. 91. v. 13, pergit ergo Alexander, ubi Satanas ſubſtitit, Matth. 4. v. 6.) Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Cum illi Fridericus: Non tibi (inquit) ſed Petro, cui ſucceſſores, pareo. Et quòd Pontifex (irato ſimilis, impreſſa fortius plantâ, ut Sabèllicus & Pet. Juſtinianus, l. c. habent,) reſpondit: Et mihi (ſeſe præponit) & Petro. Hæc, ut Baronius addit, accepta, haud dubium, ex antiquioribus monumentis. Hunc verò Alexandrum vix fuiſſe moderatiorem, quàm ut feciſſe iſta credatur, alia ipſius facinora teſtantur. Si incerta ſunt, quæ Cap. 3. S. 42 p. 72. de ipſius adoratione, ex Baronio, recitavimus, vid. Supr. S. 34. Si abſq; ſcandalo, quod tamen grande eſt. Conſules Romanos Sacramentum ad Pontificis pedes concipere juſſit, referente Cel. Spanhemio, In Introduc. ad Hiſtor. p. 662. Exercitum tamen erga Fridericum nequitiam ſi non ſuperat, illâ certe minor non eſt, Alexandri hujus petulantia, cui Henricus II. Angliæ Rex, ſeſe ſubjecit, & ex mandato Pontificis, (vid. Neubric. Rer. Angli. l. 2. c. 25. p. 402.) ab Episcopis, qui tunc præſentes erant, abſolutionem petiit, carnemque ſuam nudam diſciplina virgarum ſupponens, à ſingulis viris religioſis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos excepit: verba Mathei Paris, Hiſt. Angl. p. 125. ſunt. Quæ inſolentia cum Alexandro minimè expiravit. In hoc enim genere maiorum Collegas non paucos habet. Talis eſt Cœleſtinus III. pedibus coronam capiti Imperatoris, & Imperatricis, imponens, iterumque dejiciens, vid. Baron. ad a. 1191. n. 10. Majorem immanitatem expertus eſt Dandulus Venet. Legatus, qui cathenam ferream collo injecit, tam diu ad Pontificis, (Clementis V.) menſam, in morem canis, proſtratus jacuit, donec placata illius irâ, ignominioſam patriam notam exemerit, ut Juſtinia. Rer. Ven. l. 4. p. 93. ſcribit. Alia, ꝑ. 6. Cap. 6. ſequentur. Conf. VVolf. Mem. T. 1. p. 312. 313. 314.*

LII. Reliquas Papolatriæ partes & ceremonias, Suprà S. 1. 2. p. 73. poſitas, ob anguſtiores, præſentis Diſputationis terminos, futuræ, Deo nos conſervante, Diſputationi reſervabimus. Soli Deo gloria.

E I N I S;